



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De pace quae sub Galieno fuit. Cap. XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

batur, alter Malchus, tertio nomen erat Alexander. Fertur vero istos ruri degentes, primum seipfos tanquam inertes & desidiosos probris affecisse, quod cum temporis opportunitas primum vitæ æternæ his, qui Cælesti eius desiderio glifcebant, dispertire videretur, ipsi prænegligentia quadam & segnitie, martyrii coronam non præcipuissent. Deinde cum inter se ita deliberassent, absque mora Cæsaream versus ire pergunt: extemplo proficiscuntur ad Iudicem: & eius vitæ exitum qui supra demonstratus est, assequuntur. Mulierem quandam præterea (quam Marcionis errore antea lapsam fuisse fama loquitur) eadem persecutionis tempestate, in eadem ciuitate per simile certaminis genus subiisse memorant.

De pace que sub Galieno fuit.

CAP. XII.

Non diu autem post, cum Valerianus apud Barbaros seruitutem subiisset, filius eius solus imperio potitus, clementius se gessit & moderatius in imperio gubernando: & edictis diuulgatis persecutionem remisit, relaxauitque: atque adeo illos, qui verbo dei præerant, quod ipsis in more positum fuisset, libere exequi per literas mandauit: quæ quidem sic se habent. Imperator, Cæsar Publius Licinius Galienus, Pius, Fortunatus, Augustus, Dionysio, & Punia, & Demetrio, & cæteris episcopis salutem. Meæ munificentiaæ beneficiū per vniuersum orbem diuulgari præcepi, vt qui loca illa religiosa, quæ spectant ad Christianos possideant, ab illis statim discedant. Et propterea vos mearum literarum exemplari vti poteritis, quò nemo deinceps, vobis quicquam faceat molestia. Atque istud, quod nunc libere & pro arbitratu à vobis expleri queat, iam pridem à me erat concessum. His de causis Aurelius Cyrenius, qui summam rerum secundum me administrat, literarum etiam exemplar conseruabit. Aliud porro decretū illius esse dicitur, quod ad alios episcopos dedit: per quod quidem, loca illa quæ Cæmeteria nominabantur, integram ad cūdi occupandi que fecit potestatem.

Hic quædam verba Eusebii de literarū interpretatione omni si, ne serui es orationis videretur prope ridicula.

I 5 De